



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Olim
Primarij Theologiae Professoris emeriti, Opvs De Triplici
Virtute Theologica, Fide, Spe, Et ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1622

Sectio 2. An omnes hæretici secundùm leges Ecclesiæ morte puniantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93448](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93448)

dicit Christus, patrem familias tempore messis missurum ministros suos, qui triticum à Zanijs separarent, quod alibi explicuit dicens, quod tempore iudicii mittet Deus Angelos suos, & separabunt malos de medio iustorum, ubi non tantum dixit, hereticos à fidelibus. Igitur vel illa parabola nihil de hereticis probat, vel ex ea colligitur, nullos iniquos, & malos esse puniendos, quod absurdissimum est. Itaque intentio Christi (ut indicauit Cyprian. epistola quinquagesima prima, & quinquagesima secunda) solum fuit reprimere, & moderari nimium, & indifferetum zelum, vel prouocandi iram Dei contra peccatores, ut alibi fecit, cum discipulis suis dixit, *nescitis cuius spiritus estis, vel temerè, & sine auctoritate illos persequendi*, ut etiam in alio loco indicauit Petro, præcipiendo illi, ut gladium in vaginam conuerteret, non tamen prohibuit iustam, & ordinatam iniquorum punitionem, ut per se notum est. Quia vero heretici inter malos continentur, & ita in parabola etiam comprehenduntur, ut allegati Patres recte dixerunt, ideo addendum est, prohibuisse quidem Christum occisionem hereticorum, quando cognosci non possunt, neque à Catholicis discerni. At vero quando sufficienter distinguuntur, & eorum delictum cognoscitur, & comprobatur, tunc non habet locum parabola, quia licet ipsi eradicentur, nullum est periculum eradicandi simul & triticum, id est Catholicos, quæ sunt ratio Christi Domini in illis verbis. *Nescitis eradicantes zizaniam, eradicetis & triticum.* Et ita respondet Augustinus libro tertio, contra Parmenian. capit. 2. & D. Thom. 2. 2. quæst. 10. art. 8. ad 1. & quæst. 11. art. 3. ad 3. & quæst. 108. art. 3. ad 1. Dicit aliquis quamuis in eo casu non sit periculum aliorum, semper imminere periculum damnationis eiusdem heretici, qui nunc interfectus damnabitur, & fortasse si tempus vitæ illi concederetur, conuerteretur, & saluaretur. Respondet in primis, instantiam non habere locum in hereticis penitentibus, qui interdum ultimo supplicio afficiuntur. Nam tunc potius esse potest probabilis spes salutis eorum, cum perseverantia in fide usque ad finem vitæ. De peritacibus autem dicendum est, maiorem rationem habendam esse communis boni Ecclesiæ, per quam non stat, quominus illi conuertantur, & saluentur: unde si sua culpa pereunt, sibi imputent, & fortasse vtilius illis est statim mori, quam viuendo multiplicare peccata, & errores, & esse causam, ut multi alij pereant.

Instantia diluitur.

Ad 7. ibid.

9. Tertium argumentum sumebatur ex consuetudine Ecclesiæ, quod etiam est negatiuum, & ex ea parte infirmum, quia non sumitur ex vsu contrario, sed tantum ex non vsu, ex quo non potest colligi defectus potestatis præsertim cum ille non vsus non fuerit perpetuus, sed brevis cuiusdam temporis, quia non cogitur, qui potestatem habet, illa semper vti, vel etiam non semper commode potest. Quocirca licet Ecclesiæ semper habuerit potestatem hanc, in principio, quando Imperatores, & iudices laici non erant Christiani, non poterat illa commode vti. Et hac ratione Patres illorum temporum reprehendunt Catholicos, qui occidebant hereticos, quia temere, & sine potestate id faciebant, postea vero Imperatores Christiani ceperunt penis coercere hereticos, & prius leuiores penas vti sunt, & quia experti sunt, illa non sufficere, tandem ad vltimum remedium, & supplicium peruenerunt, ut mox in sequenti sectione videbimus. Et hoc modo loquutus est Augustinus in citatis locis, & tract. 11. in Ioan. & epistola 66. & id magis declarauit 2. Retract. capit. quinto. Solet autem penam mortis excipere, quia suo tempore nondum erat in vsu. Leo autem Papa in epist. 4. alias 91. vel 93. capit. 1. indistincte dixit. *Propter ista distinctio Ecclesiastica lenitatis, quæ si Ecclesiastico contenta iudicio et uentis effugit vltio-*

nes, seu scitis tamen constitutionibus Christianorum Principum adiuuatur. Et similia habet Optatus, vicinus etiam Augustinus libro tertio contra Parmenian. ubi varijs exemplis hoc confirmat. Et simili modo Bernard. ferm. 66. in Cantico. cum reprehendisset, quosdam, qui propria auctoritate hereticos occidere tentabant, addidit, per eundem debere fieri, *quinon sine causa gladium portat.* Vltimum denique argueretur, quod sumebatur ex comparatione ad alios infideles: sed responsio est in promptu, nam si sit sermo de Iudæis, & Saracenis non baptizatis, non est similis ratio, quia illi non sunt subditi iurisdictioni Ecclesiasticæ, sicut sunt heretici: Si vero sermo sit de Iudæis, & Saracenis apostatis à Fide, quam in Baptismo professi sunt, respondemus eos etiam esse dignos penam mortis, & ita quoad iurisdictionem Ecclesiæ pro hereticis reputari, & hac pena sicut alijs puniri.

SECTIO II.

Utrum omnes heretici secundum Ecclesiæ leges penam mortis afficiantur.

1. Diximus de potestate, dicendum sequitur de actu, & in hoc supponimus primo, penam mortis impositam esse hereticis iure positio. Hæc suppositio constat primo ex iure ciuili in l. *Ariani* C. de Hæret. ubi specialiter est sermo de Manichæis, tamen in l. *Quicunque* eodem t. generaliter fertur his verbis. *Vltimo supplicio coercerentur, qui illicita docerentauerit.* Quia vero illud verbum docere, non videntur omnes comprehendere, addit Glossa in Cap. *Excommunicamus*. 2. verb. *Puniendi*: extra de Hæretic. eandem esse rationem de addiscentibus, quia illa duo docere, & discere illicita, in iure æquiparantur, l. *Culpa*, Cod. de Maleficijs. Et eandem penam tulisse contra omnes hereticos Michaellem Imperatorem refert Paulus Diacon. libro decimo quarto Hystoriarum, & eandem postea tulit, & magis declarauit Imperator Fridericus in l. *Inconfortilem*, & in leg. *communis*, quæ in fine Directorij pagin. 16. editionis anni 1578. referuntur, & paulo inferius magis explicabuntur. Secundo idem constat ex iure canonico, ut patet ex multis bullis, quibus prædictæ leges approbantur, & recipiuntur, quæ in eodem Directorio referuntur, & ideo in cap. *Ad abolendam* §. *Presenti*, dicitur, hos hereticos brachio seculari esse tradendos debita animaduersione puniendos. Et ita Ecclesiæ non solum approbat illas leges, sed etiam vult, ut iudices laici secundum illas iuste iudicent, quando huiusmodi rei illorum iurisdictioni committuntur, nec possunt laici iudices talem penam remittere iuxta cap. *vt Officium*, de Hæret. in 6. vt magis explicatur in Bulla Urbani IV. quæ incipit *Licet*, & in Bulla Innocent. IV. quæ incipit *Statuimus*, relatis in Directorio, ubi supra.

2. Secundo, quia hæc iura non eodem modo de omnibus hereticis loquuntur, aut illos comprehendunt, ideo vt quæstioni propositæ respondeamus, & explicemus, qui heretici, & quando penam mortis afficiendi sunt, distinguere oportet varios hereticorum gradus. Primo enim distinguere illos possumus in hæresiarchas, qui etiam dogmatistæ dici solent, & alios addiscentes, & illis credentes. Deinde quidam ex his hereticis dicuntur relapsi, quia post abiuratum solemniter hæresim, iterum in eam lapsi sunt. Alij vero sunt simpliciter lapsi in hæresim sine reciduo post abiurationem. Denique heretici, qui puniuntur, quidam sunt pertinaces, quia post sufficientem instructionem, & admonitionem factam, etiam à iudicibus fidei, in suis erroribus perseverant. Alij vero sunt, qui se Catholicos profitentur, sunt tamen impenitentes, ac proinde de sua conuersione, vel fide ita suspecti, ut ficti præsumantur.

Ad 4. ibid.

1. Suppositio pro decilio ne ex iure ciuili sumpta.

Item ex canonico.

2. Suppositio varios esse gradus hereticorum.

sumantur, & huiusmodi sunt, qui negant delictum hereticis, de quo conuicti sunt, vel etiam qui illud confitentur, sunt tamen in sua confessione diminuti, quia vel non omnes errores, de quibus conuicti sunt confitentur, vel complices, de quibus etiam satis constat, declarare nolunt. Alij vero sunt, & conuersi ad fidem, & sufficienter poenitentes, quantum ex signis, & confessione illorum intelligi potest.

3. Primo ergo dicendum est, hereticos, qui post sufficientem instructionem, & admonitionem Ecclesie, & iudicium eius in suo errore pertinaces sunt, pena mortis irremissibiliter esse puniendos. Ita docent omnes Doctores, qui de hac materia tractant Castro libro primo, de lust. Hæret. punit. capite septimo, & libro 2. à principio. Repertorium Inquisitor. verb. *Heretici*, & verb. *Pertinax*, Iulius Clarus libr. 5. §. *Hæresis*, Simancas Instit. tit. 7. & 48. Rojas tract. de Hæret. part. 2. assert. 25. Couar. libro 2. Variar. cap. 10. num. 10. Azor tom. 1. libro 8. capite 13. Paragr. *Ultima pena*, & Penha in Director. 2. part. commentar. 65. qui alios refert. Probari potest primo ex antiquis legibus civilibus, quæ hanc poenam hereticis imponunt; nam in aliquibus mandari debet executioni: ergo maxime in his, qui heretici perseverant, expresse vero, & in particulari hoc sancit Frideric. in dicta *Inconsuetum*. Secundo, id est manifestum in iure Canonico cap. *Ad abolendam*, & cap. *Excommunicamus*, cum alijs de hereticis, in quibus dicitur, eos, qui per sententiam declarantur heretici, nisi continuo resipiscant, & parati sint ad abiurandos errores, & satisfaciendum Ecclesie, confestim curiæ seculari tradendos animaduersione debita puniendos, debita nimirum secundum iura civilia, quæ est pena mortis, ut visum est. Tertio est optima ratio, quia isti sunt heretici, ut sic dicam, in summo gradu, & sunt incorrigibiles, ideoque nulla est de eis spes; ergo non est cur pena condigna differatur, nam ut dixit Simachus Papa cum quodam Concilio Romano, *ferro abscindenda sunt vulnera, quæ fomenta non sentiunt*. Cap. *In canonibus*, 17. questione 1. & similia habentur 24. questione tertia, per plura capita: imo & Plato in libro 9. de Legibus dixit, *quos legislator insanabiles sentit, hos ultimo supplicio afficit, non ignorans istum melius esse mori, quam vivere*.

4. Dubitant autem Doctores de specie mortis, quia iura illam non determinant. Nihilominus consuetudo Ecclesie habet, ut isti pena ignis afficiantur; quam esse antiquam ostendit Gregor. 1. Dialogor. capite 4. ut supra citauimus, eiusque exemplum habemus in Concil. Constantien. in quo Hieronymus Praga, & ossa Iohannis Vicleph combusti sunt, & aliud antiquius exemplum sumi potest ex 4. Reg. 23. & aliqui hoc voluerunt colligere ex illo Iohann. 15. *Si quis in me non manserit, & colligent eum, & in ignem mittent*. Sed hoc solum per quandam accommodationem accipiendum est. Vnde Villadiego tractat. de Hæretic. quæst. 15. numer. 4. existimat huius poenæ determinationem nullo iure scripto, sed sola consuetudine introductam esse, quod fortasse verum est, quoad priorem partem exclusiuam, loquendi de legibus in corpore iuris contentis: nam extra in dicta lege Friderici expresse decernitur, ut isti viui comburantur, & hanc legem accepit Ecclesia, & ita vti seruatur, & seruandum est, de qua re videri possunt Farinas. de hæresi quæst. 198. nu. 4. & quæ ex patribus adducit Arboreus lib. 8. Theosoph. capite 9. in 2. p. assertionis.

5. Secundo dicendum est, omnes hereticos impoenitentes, etiam si exteriori se fideles, & catholicos profiteantur, si de hæresi conuicti sunt, pena mortis esse afficiendos. Ita docent omnes auctores citati, & Albertin. de Agnoscent. hæret. questione 8. & questione 34. numer. 51. & Rojas de Hæret. 1. part. 2. num. 590. & 2. part. assert. 21. ubi plures alios refert.

Suarez de Fide.

Et est res certa, & vti recepta, quamuis non sit in iure tam recepta, sicut præcedens. Colligitur autem sufficienter ex dicto Cap. *Ad abolendam*, cum similibus, quatenus dicunt, confestim, vel conuictum de hæresi, nisi resipiscat, & paratus sit satisfacere Ecclesie, esse curiæ seculari tradendum. Vbi ponderanda est æquiparatio inter conuictos, & confessos, nam illi licet non cōfiteantur, conuicti sunt, & alij non resipiscunt, neq. ad satisfaciendum parati sunt, quia nolunt delictum agnoscere, ergo sub illa poena, & lege comprehenduntur. Et confirmatur primo, quia tales rei in foro Ecclesie probati sunt heretici, & non ostendunt poenitentiam, nec retractionem erroris: ergo merito puniuntur pena eorum, qui in hæresi perseverant. Et ideo in eis eadem species poenæ ignis seruatur, non tamen comburantur viui propter rationem, quam in sequenti puncto assignabo. Denique confirmatur, quia non possunt absolui, vel reconciliari Ecclesie cum sine confessione non sit absolutio: ergo neque sunt in Ecclesia tolerandi. Et in hoc sunt peioris conditionis, quam relapsi poenitentes; nam his danda sunt sacramenta, ut statim dicam; illis autem dari non possunt, quia se indispotos ostendunt.

6. Vnde colligitur hanc assertionem habere locum non tantum in his, qui negant omnes errores, quos commiserunt, sed etiam in illis, qui diminuti sunt, quosdam confitendo, & alios tacendo, dummodo de illis etiam conuicti sint. Et ratio est clara, quia confessio diminuta non est vera confessio, & quia vnus error constituit hereticum, & pertinacem, si in illo sit contumax, etiam si alios abiuret: ergo etiam negatio vnus erroris constituit impoenitentem. De illo autem, qui omnes proprios errores confitetur, negat autem aliorum, seu sociorum, quia non vult complices confiteri, Rojas supra 2. part. n. 240. & sequenti negat, hunc esse habendum impoenitentem, vel tradendum curiæ seculari. Fundatur, quia qui suum delictum confitetur, præsumi non debet, quod taceat alienum. Contrarium autem vti, & praxi Inquisitorum seruatur, & ideo dicendum est, si talis hereticus conuictus sit de tali diminutione confessionis, ut sæpe contingit per confessiones aliorum complicum, tunc verè iudicari impoenitentem, & eius pena merito affici. Ratio est, quia & occultator hereticorum, & fouet hæreses, & errores aliorum, & agit contra debitum suum in causa fidei, & ideo merito iudicatur hîc conuersus. Si autem non esset conuictus, sed solum esset de illo aliqua suspicio, tunc haberet locum opinio Rojas, & hoc tantum probat motuum eius.

7. Tertio dicendum est, hereticos relapsos, etiam si verè poenitentes se sufficienter ostendant, pena mortis esse afficiendos, absque vlla remissione. Ita docent auctores citati, & Repertorium Inquisitor. verb. *Pena*, & verb. *Combur*, & Penha dicto comment. 65. 2. part. & in 3. part. comment. 89. & 92. Farinas. de hæresi quæst. 193. nu. 32. Et in hoc est expressa lex Friderici supra citata, quæ incipit *Commissis*, & iura etiam Canonica expresse decernunt, hos esse tradendos brachio seculari, præter citata, in cap. *Accusatos*, & cap. *Super eo*, de Hæretic. in 6. Et ratio est, quia relapsi etiam censentur incorrigibiles, & moraliter loquendo, non speratur emenda, sed potius timetur ne alijs noceant. Despecie autem, & modo poenæ Repertorium supra affirmat, esse viuos comburendos. Sed intelligendum est, si sint pertinaces, nam si poenitentes sint, non sunt in eo animæ periculo constituendi, & ideo prius sunt strangulandi, ut habet etiam communis consuetudo.

8. Hæc autem assertio est et indubitata, quando hereticus incidit in eundem errorem, quem antea abiurauit, etiam si non fuerit de illo conuictus, sed tantum de vehementi abiurauerit, ut habetur in dicto

Ostenditur.

Confirm. 1.

Confirm. 2.

Præcedentis assert. extensio ad diminutos confitentes.

Placitum Ro-
ias impugna-
tur.

3. Assertio de relapsis.

Exponitur Repertoriū.

An sit relapsus qui nouam heresim ab abiurata committit.

Aduerfames
opiniones.Aduerfames
opiniones.4. Assertio bi
partita.Ostenditur
pars de varie
tate.Progreditur
eadem pars

dicto Cap. *Accusatus*, §. Cum verò. Item est certa, quādo prius in generali abiurauit omnes errores fidei contrarios, & postea in aliquem incidit. Dubitatio autem nonnulla est, an iudicandus relapsus in ordine ad eandem penam, qui vnam tantum hæresim contra vnum articulum abiurauit, & postea in hæresim contra alium incidit. Nam in hoc sunt opinionēs. Partem negantem tenet Glossa Ioan. Andreæ in dicto Cap. *Accusatus*, & sequitur Eymericus 2. part. Directorij quæst. 40. Affirmantem autem partem tenet Archidiaconus in eodem cap. & sequitur Zanquini cap. 16. & Villadiego quæst. 20. Bene tamen admonet Penha, quæstionem in praxi non esse admodum necessariam, quia semper fit abiuratio generalis. Si tamen casus contingeret, stando in vi rationis posterior opinio habet magnam probabilitatem, tum quia hæreses circa diuersas materias in ratione culpæ tantum numero differunt, quæ sola distinctio non obstat reincidentiæ, & incorrigibilitati circa idem crimen, tum etiam quia licet abiuratio vnus hæresis, formaliter fit specialis, virtualiter est generalis, nimirum non recedendi ab ecclesiâ, nec contra eius auctoritatem sentiendi: nam in hoc conueniunt omnes hæreses, & hoc est, quod formaliter abiuratur, argumento cap. vit. in fine 2. quæst. 3. & cap. *Excommunicamus*, 2. de Hæretic. sicut est contrario fides vnus articulus est virtualis fides omnium. Nihilominus tamen ponderando verba iuris, cui standum est, prior opinio videtur probabilior, quia non sine causa in dicto cap. *Accusatus*, in principio ponitur illa conditio, Si postea deliquit in ipsa, & in §. 1. si postea quam hæresim simpliciter, vel generaliter abiurauit, quæ conditio non impletur, quando tantum præcelsit specialis abiuratio, & postea non delinquit in ipsa, id est, in eadem hæresi.

9. Quarto dicendum est de dogmatizantibus, & hæreticis rem esse controuersam, an recipiendi sint, si verè conuertantur, vel nihilominus brachio seculari tradendi sint. Proprie tamen de illis loquendo, probabilius videtur regulariter esse tradendos brachio seculari. Dico autem regulariter, quia exceptio aliqua admitti posse videtur. Prima pars consistat ex diuersitate opinionum, de quibus late Farinac. de hæresi quæst. 192. ad num. 5. nam quod isti sint admittendi, indistincte tenet Eymericus 3. part. num. 136. & sequentibus, & inclinat Penha allegando alios 2. part. commentar. 64. Fundatur, quia Cap. *Ad abolendam*, generaliter dicit, docentes, & recipientes hæreses, si resipiscant tempore debito, & relapsi non sint, esse recipiendos, & idem repetit absolute de publicis hæreticis, sub quibus dogmatizantes comprehenduntur iuxta Cap. *Super quibusdam*, de Verbor. signific. & similis regula indistincte traditur in cap. *Pro officio de Hæreticis* in 6. ergo sine adminiculo iuris Canonici non licet distinguere inter magistros, & discipulos hæresum. Præsertim cum generalis regula ecclesiæ sit, quod resipiscentes à quocumque crimine, recipiendi sunt, vt in sequenti assertionem videbimus. Denique fauet regula, quod fauores sint ampliandi.

10. Nihilominus quod isti recipiendi non sint, sed absque vlla remissione tradendi brachio seculari, acriter contendunt Simancas in Institutionibus tit. 47. ad num. 54. in Enchyridio tit. 56. Rojas in tractat. 2. part. assert. 43. & fuit sententia Repertorij Inquisitor. verb. *Docere*. Fundamentum esse videtur, quia hoc est conforme iuri diuino, & civili, & canonicum non repugnat. Prima pars patet ex illo Deuter. 13. vbi de huiusmodi falsa dogmatizante, dicitur statim interficiatur. Secunda pars probatur ex l. quicumque C. de Hæret. ibi. *Qui illicita docere ventauerit*: nam licet Glossa ibi, vt supra retuli, æquiparet dicentem cum docente, re tamen vera multo grauius, & specialius est peccatum docentis, vnde

cum de illo lex specialiter loquatur, aliquid etiam speciale de illo statueri voluit. Item facit lex vltima in fine Cod. de Iudicis, ibi. *Pena sanguinis destinandus, qui fidem alterius expugnauit peruersa doctrina*. Item lex penult. Cod. de Apostat. dicit, pena capitis esse puniendum, qui alium peruerit. Tertia pars probatur, quia in iure Canonico nunquam inuenitur in particulari præscriptum, vt illi recipiantur; generalis autem decisio, quod hæretici penitentes recipiantur, non sufficit ad corrigenda dicta iura ciuilia, neque ad comprehendendos prædictos dogmatizantes, tum quia generalia verba legis loquentis de aliquo delicto, non comprehendunt speciale, & qualificatum delictum quoad indulgentiam aliquam, vt Iuristæ communiter docent, tum etiam quia illa verba præcisè intelligenda sunt de hæretico, dogmatista autem plus est, quam hæreticus, quia est hostis Ecclesiæ, & animarum fidelium, tum denique quia ratio est valde diuersa: nam in dogmatizantibus (quia non peccant ex ignorantia, vel si peccant ex illa, est nimium affectata) præsumitur magna pertinacia, & consequenter valde timeri potest infectio in eorum conuersione, ac subinde magnum potest imminere periculum animarum, si recipiantur, ergo Canones in priori opinione allegati non sunt ad eos extendendi. Vnde quia hæc motiua videntur virgientiora, & quia hoc cedit in maiorem fidei fauorem, & maiorem animarum securitatem, ideo addidi in secunda parte assertionis, hanc regulam generalem cum aliqua moderazione sumptam esse probabiliorem, & vt exillimo, illam etiam vius confirmat.

11. Vt autem, & moderationem, & reliquam partem assertionis explicemus, aduertere oportet, varios esse gradus istorum seminantium errores. Primus est illorum, qui dicuntur hæresiarchi, qui proprie sunt illi, qui & errores inuenerunt, & seminant, vt Arius, Lutherus, & similes, & in his maxime locum habet dicta regula, quam bene confirmat Hieronymus ad Galatas quinto, in Ario exemplum adhibens. Secundus gradus est eorum, qui hæreses ab alijs inuentas docent, & prædicant, & illi proprie dicuntur dogmatizantes, vt videre licet in Eymerico 2. parte, quæstione 39. & ibi Penha commentar. 64. & Simancas titulo trigésimo primo, imò interdum etiam vocantur hæresiarchi, vt ab Urbano Papa in cap. *Qui aliorum*, vigesima quarta; quæstione tertia. Requiritur autem ad hunc gradum, vt quasi ex officio, & consuetudine hoc munus accipiant, & plures doceant, vel publice, vel occultè. Et ita in his etiam habet verum regulam posita. Existimo tamen in aliquo raro casu, & interueniente auctoritate supremi senatus posse recipi, si magna, & fere euidentia signa diuinæ illuminationis in eis appareant, & præsertim si aliqua utilitas fidelium ex eorum vita speretur, vt dixit Concilium Biterren. quod Penha refert. In tertio gradu statui possunt, qui priuatim vnum, vel alium discipulum, & hi non comprehenduntur sub regula, sed in eis seruanda est prima opinio, quia proprie dogmatizantes non sunt, & aliquæ ex dictis legibus ciuilibus ita sunt moderandæ, & hoc etiam vltus obseruatur.

12. Tandem circa hos casus in his assertionibus propósitos, in quibus personæ hæreticæ traduntur brachio seculari, tria breuiter notanda sunt. Primum est, hoc tam in personis Ecclesiasticis in sacris ordinatis etiam sacerdotibus, quam in laicis seruari. Solum aduertunt iura, Sacerdotes prius esse degradandos cap. *Excommunicamus*, 1. de Hæretic. cap. *Ad falsarium*, de crimin. falsi, prout declaratur, & extenditur in Cap. *Nonimus*, de verb. significat. De qua degradatione, & ritu eius videri possunt dicta in tomo quinto, disputatione 30. Secundum obseruatum est, iudices Ecclesiasticos non ingrere irregularem

Aduerfames
opiniones.Proi. parte
assertionis
quæ dicitur
hæresiarchi
prelle.

Quis dogm.

Dogmatista
non est, qui
priuatim vnum, vel alium
discipulum peruenit.Circum prædi
ctis assertio
nes obserua
tio.Admodum
alio.

ritatem tradendo hereticos brachio seculari, quia ipsi non conueniunt ad mortem, nec exequuntur illam, & ideo in dicto Cap. Nouimus, monentur, vt peccant à iudicibus laicis, vt benigne cum eis se gerant, quantum iustitia permiserit. De qua cautione, & quomodo talis irregularitas viterur dixi late in eodem tom. 5. disp. 67. sect. 1. circa finem. Tertium est, de relapsis, & dogmatizantibus, si verè poenitentes sint, non esse deneganda ante mortem. Sacramenta poenitentiae, & Eucharistiae quantum commodè fieri possit: ita enim sauetur in Cap. Super eo, de Hæreticis in 6. nam licet de relapsis in particulari loquatur, tamen ex identitate rationis ad omnes verè poenitentes extenditur.

13. Quinto dicendum est, hereticum non relapsu, qui ante sententiam sponte conueritur, & verè poenitentem se ostendit, non esse pena mortis damnandum, seu brachio seculari tradendum, sed post aburationem, & oblatam satisfactionem cum aliqua conuenienti poena, vel poenitentia, esse suscipiendum, & reconciliandum. Hæc assertio non habet magnum fundamentum in iure ciuili, quod mirum non est, quia cura salutis animarum, & reconciliatio peccatorum ad potestatem laicam non pertinet: nihilominus iuuat lex 4. de Hæreticis, quatenus in ea Theodosius dicit: *veniam poenitentibus damus*. Iuuat etiam lex Friderici, *Inconsuetum*, quatenus solos pertinaces iubet cremari: At verò iura Canonica hoc expresse disponunt in dicto Cap. *Ad abolendam*, de Hæreticis, & Cap. *Vt Officium*, cum aliis eodem in sexto. Fuitque hæc perpetua consuetudo, & traditio Ecclesie, vt constat ex Concilio Nicæno cap. 8. & Concilio Elibert. Can. 28. & Concilio Agathen. sub Symacho Can. 60. & Concilio Arelaten. cap. 9. & aliis quæ adducit Farinac. quæst. illa 192. num. 2. Ratio verò est, quia Christus, & eius Ecclesia non claudunt gremium redeuntibus ad se, vt in Cap. *Nullus de Poeniten. distinct. 7*. Quia Ecclesia magis querit salutem animarum, quam vindictam delictorum, ideoque non vitur his poenis tantum, vt vindicatis, sed etiam, vt medicinalibus, vnde quando remissio mortis aliis non nocet, & delinquenti potest ad salutem animæ prodesse, illam libenter concedit.

14. Difficultas verò est, quando, & quomodo hæc remissio locum habeat. In qua breuiter distinguenda est duplex conuersio heretici, vna est omnino spontanea, nimirum, quando ipse se accusat priusquam denuntietur, vel lis contra illum moueatur, & tunc facta ab iuratione, vel occultata, si occultum fuerit delictum, vel publica, si alicubi fuerit publicum, recipiendus est sine vlla graui poenâ, saluari tamen poenitentia imposta. Hoc satis constat ex supra dictis, & docet Simanc. tit. 47. num. 17. & sequentibus, & Rojas singular. 154. Videri etiam potest Penha 2. part. Directorij Commentar. 65. & Farinac. quæst. 195. à num. 80. Alia est conuersio, quæ ab aliqua coactione incipit, vtrique post denuntiationem factam, & ex metu poenæ, & in hac distinguendi sunt tres status. Primus est post denuntiationem, & antequam reus sit conuictus per testes. Et tunc sine vlla dubitatione est recipiendus, adhibita aliqua poena prudenti arbitrio Inquisitorum, & iuxta instructiones suas, nam de hac poena ius commune non habemus: erit tamen maior, vel minor, iuxta maiorem, vel minorem celeritatem in conuersione, & maiora, vel minora poenitentiae signa.

15. Secundus status est post testium depositiones, & ante sententiam, & tunc etiam omnes conueniunt, esse recipiendum reum, & poenam mortis in poenam perpetui carceris esse commutandam: ita enim præscribitur in l. *Commisit*, Friderici, & clarius in Cap. *Excommunicamus* 2. §. *Si qui*,

& in dicto Cap. *Vt officium*, & in Cap. *Accusatus*. Aliqui tamen dubitant, an hæc remissio habeat locum, quando hereticus prius fuit nimis pertinax, & sæpe protestatus est, ab erroribus suis non esse discessurum. Ita dubitat Rojas in tractatu 2. part. num. 374. Nihilominus Albericus quæst. 30. num. 79. simpliciter affirmat esse recipiendum. & mihi videtur verum, adhibita prudenti animaduersione dicti Cap. *Vt Officium*, vt prouideatur solerter, ne fraudulenta sit conuersio. An verò in eo casu degradandus sit clericus, priusquam immuretur, & an immuratio sit eadem poena cum carcere perpetuo tractant Emericus 3. part. q. 94. & Penha comment. 46. Farinac. supra q. 166. num. 13.

16. Tertius status est post latam sententiam, & tunc sunt opiniones inter Iuristas, vt videre est in sus. Farinac. supra quæstione 193. à numero 56. Nam Simanc. supra negat, admittit tamen aliquam exceptionem, vel arbitrium, & inclinat Penha dicto commentar. 46. & 2. part. comment. 36. allegando alios, & multum fauet Cap. *Ad abolendam*, & Cap. *Camofficium*. Alij verò tenent contrarium, Glossa in dicto Cap. *Excommunicamus* 2. §. *Sequitur*, quam multi ibi sequuntur, & ex misericordia fieri posse affirmat Emericus 3. part. num. 201. & Villadiego quæst. 15. & Rojas singular. 21. 154. Sed re vera prima opinio in rigore iuris videtur solidior. Nihilominus tamen in aliquo raro casu, & propter graues circumstantias non videtur denegandum iudicibus prudens arbitrium, quia ita expedit ad commune bonum, neque est lex, quæ prohibeat, imò etiam in vltima seruari exitimo.

17. Vltimo potest ex dictis colligi, quid de aliis poenis circa mortem dicendum sit: nam aliz poenæ corporales non imponuntur, nisi quasi in commutationem poenæ mortis. Et hoc modo solum inuenimus in iure poenam perpetui carceris, de qua iam dixi, & videri potest Farinac. citata quæst. 193. à num. 101. Solum aduerto, olim magis fuisse in consuetudine poenam exilij, vt constat ex dictis legibus ciuilibus, & ex Conciliis antiquis allegatis supra disp. 20. section. 3. & aliis scriptoribus apud eundem Farinac. à num. 80. Postea verò magis accommodata visa est poena carceris perpetui, & merito: nam in exilio poterant heretici, & liberiùs redire ad vomitum, & aliis nocere, ab utroque autem præseruantur in carcere. Aliz verò poenæ sunt arbitrarie, & ideo nihil est, quod de illis dicamus. Solum cæteris poenis addi potest habitus poenitentis crucibus insignitus, quem heretici poenitentes poenitentia coguntur supra vestes gestare: nam hæc poena ad corporales reduci potest, vel etiam ad infamiam, quauis etiam propter satisfactionem, & humiliationem propriam, & in aliorum exemplum, & terrorem imponatur, estque vsu, & instructione sancti Officij introducta, quauis in iure non habeatur. Et de illa videri possunt Zanquini in cap. 20. Rojas singular. 154. Penha in 3. part. comment. 42. & 44. Farinac. proxime citatus à num. 91.

DISPUTATIO XXIV.

De personis, ad quas extenduntur poenæ hereticorum propter coniunctionem cum illis.

P

ersonæ hereticorum poenas participant quædam sunt conuenientes cum illis in eodem genere delicti, & propriissime dicuntur socij, seu complices exercentes cum illis easdem sacrilegas actiones, & cum eis in eisdem erroribus consentientes, suntque proprie heretici, & ita easdem poenas incurrunt, ideoque nihil de illis dicendum superest præter pauca, quæ de credentibus statim adiciemus.

Gg 4

Alij

Quadruplex
genus huius-
modi perso-
narum.